

## ARTICULUS III. — DE SERMONIBUS ET LECTIONIBUS, IMPUDICIS.

419. **Principia.** — I. Turpia loqui, canere, scribere, audire delectationis venereae causa vel cum proximo periculo consensus in illam, est grave peccatum. Si vero absit prava intentio et periculum consensus, simulque adsit legitima causa talia proferendi, scribendi, audiendi, nullum est peccatum.

II. Libros omnino obscenos legere absque iusta causa est peccatum mortale, etiamsi ex curiositate vel recreationis gratia fieri id videatur; quia *per se* haec lectio valde ad libidinem provocat. Excipe forte, nisi legentes ex sola curiositate ob aetatem provectam et frigidam complexionem aut consuetudinem de rebus venereis tractandi grave libidinis periculum non incurrant. — S. Lig. n. 426.

III. Libros amatorios et leviter obscenos legere *per se* non est mortale, quamvis in praxi sit valde periculosum praesertim iunioribus. Libros autem quadantenus obscenos, de scientiis alioquin tractantes, ex solo scientiae vel utilitatis propriae vel alienae intuitu legere, *per se* non est peccatum, secluso tamen consensus venerei periculo, quod alioquin in iunioribus raro aberit.

420. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Graviter peccant generatim, qui sermones permiscunt etiam ex levitate de actu coniugali, de licitis et illicitis inter coniuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem..., praesertim si inter iuvenes diversi sexus id fiat.

2<sup>o</sup> Graviter peccant, qui etiam sola verba turpia proferunt, si id faciant ob delectationem captam ex ipsa rerum turpium cogitatione. Nec a gravi excusantur, qui iocandi praetextu verbis aequivocis, sed satis notis, eadem ob eam delectationem exprimunt. — S. Lig. n. 426.

3<sup>o</sup> Graviter etiam peccant, qui ob iactantiam narrant propria peccata turpia, et quidem ordinarie tripliciter, peccato nempe complacenticiae, scandali et iactantiae de peccato commisso.

4<sup>o</sup> Non est *per se* mortale proferre turpia quidem, sed non graviter obscena, si fiat breviter, per iocum aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut grave scandalum patiantur. Hinc communiter non sunt gravia dieteria turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus, quia ad merum iocum ordinarie dicuntur et audiuntur. — S. Lig. n. 426.

5<sup>o</sup> Non semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, praesertim si sint diuturna, saepe repetita, aut in locis solitariis fiant. — S. Lig. n. 422, 426. Quid ergo iudicandum de amoribus, ut vocant, praesertim inter iuniores? — Non sunt indiscriminatim omnes culpa mortalis damnandi;

quamquam saepe occasio proxima letaliter peccandi difficulter aberit, saltem in progressu et accedentibus quibusdam adiunctis, ut si adamantes omnino soli praesertim per longius tempus aut noctu, etc. conveniunt. — S. Lig. *Praxis Conf.* n. 63.

6<sup>o</sup> Non peccant graviter, qui ex mera curiositate legunt libros lepidos, quia ad libidinem non graviter excitant, nec magno periculo exponunt, ut sunt multae comoediae vel poemata. — Si vero ob causam legitimam, v. gr. ad discendum aut ad acquirendam eloquentiam id faciant, nullatenus peccant.

## CAPUT II.

## DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATIS

## ARTICULUS I. — DE PECCATIS CONSUMMATIS IUXTA NATURAM

§. I. *De fornicatione.*

421. — Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu.

Fornicatio est graviter prohibita iure naturali et divino positivo, ita ut a peccato gravi excusari nunquam possit. Constat 1<sup>o</sup> ex Scriptura, 1. *Corinth.* 6. 9.: *Neque fornicarii regnum Dei possidebunt.* — *Ephes.* 5. 5.: *Omnis fornicator aut immundus... non habet hereditatem in regno Christi.* — 2<sup>o</sup> Ex ratione: nam si fornicatio permetteretur, plerumque homines a matrimonio contrahendo recederent, prolesque ex fornicatione suscepta absque ulla educatione derelingeretur, unde et subversio ordinis socialis necessario sequeretur.

Ad fornicationem referuntur 1<sup>o</sup> concubinatus, qui est commercium habituale soluti cum soluta; — 2<sup>o</sup> meretricium, quod est status mulieris omnibus prostitutae.

Circumstantia concubinatus aut meretricii non est necessario in confessione declaranda, cum *per se* speciem peccati non mutet. *Per accidens* autem saepius est explicanda ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque Confessario interroganti aperienda est. — S. Lig. n. 432.

§. II. *De adulterio.*

422. — 1<sup>o</sup> Adulterium est copula cum alterius coniuge, seu est accessus ad *torum* non suum.

2<sup>o</sup> Adulterium praeter peccatum contra castitatem aliud includit contra iustitiam. Patet ex ratione, constatque ex variis sanctae Scripturae locis.

3<sup>o</sup> Adulterium committitur, etiamsi alter coniux consentiat; quia in omni casu violantur iura Sacramenti et contractus indissolubilis; quae quidem iura natura ipsa exigit, ut prorsus inalienabilia sint.



4<sup>o</sup> Adulterium inter duos coniugatos duplex est, et duplicis tori violatio, ac proinde circumstantia haec in confessione exponenda est. — S. Lig. n. 445.

§. III. De incestu.

423. — Incestus est concubitus cum consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos.

Incestus specie differt ab aliis luxuriae peccatis, quia graviter repugnat reverentiae naturali debitae parentibus, et consequenter personis, quae proxima coniunctione sanguinis aut affinitatis eis devinctae sunt. — S. Lig. n. 448.

Utrum specie differat incestus cum consanguineis et incestus cum affinibus, et rursus utrum specie differat incestus pro vario affinitatis et consanguinitatis gradu, atque adeo utrum gradus necessario in confessione exprimendus sit, in *Tractatu de Poenitentia*, ubi de circumstantiis peccatorum aggravantibus, dicemus.

§. IV. De sacrilegio.

424. — Sacrilegium, quatenus est luxuriae peccatum, est violatio personae vel loci sacri per actum venereum.

Sacrilegium, praeter peccatum contra castitatem, complectitur etiam peccatum contra Religionem seu contra reverentiam Deo, atque adeo locis sacris debitam.

**Resolves.** — 1<sup>o</sup> Duplex sacrilegium committit persona Deo consecrata cum alia eiusdem conditionis peccans; quia dupliciter Religionem offendit. — S. Lig. n. 456.

2<sup>o</sup> Sacerdos simul et Religiosus, qui contra castitatem peccet, *probabilius* non committit duplex sacrilegium; quia quamvis ex duplici titulo maneat obstrictus voto castitatis, tamen contra idem praeceptum formale seu ex eodem motivo impositum peccat. — S. Lig. n. 455.

3<sup>o</sup> Sacrilegus est, qui personam sacram ad peccatum luxuriae consilio inducit, licet ipse cum ea non peccet; quia eius peccato cooperatur.

4<sup>o</sup> Pollutio voluntaria in Ecclesia est sacrilegium, quamvis secreta sit, et quamvis Ecclesia reconciliatione non indigeat, prout in pollutione notoria indiget.

5<sup>o</sup> Tactus leviter turpes in Ecclesia iuxta communiorem sententiam non sunt gravia (1), quia ex eis non resultat magna irreverentia in locum

(1) Dicitur, non esse gravia sacrilegia, quia aliqua sacrilegii malitia, si in ecclesia peccetur, nunquam non adest; quae tamen non semper est gravis, et exprimenda in confessione. Vide quae sup. adnotantur ad n. 286. q. 2. resp. 2.

sacrum. Secus vero, si sint enormiter graves. — Si autem sint simpliciter graves, duplex datur sententia: ut *absolute probabilius* affirmat S. Lig., quia tactus inhonesti eamdem malitiam habent quam ipsa copula, et licet his actibus non violetur Ecclesia, ipsi tamen gravis irreverentia irrogatur. Idem dicito de verbis et aspectibus graviter obscenis S. Auctor n. 459-461.; et *Hom. apost.* n. 22. — Actus vero interni, seu cogitationes, vel desideria prava habita in Ecclesia non sunt gravia sacrilegia, si desideria peccandi externe in ipsa Ecclesia excipias. S. Alph. n. 462. et *Hom. apost.* ibid.

§. V. De stupro.

425. — Stuprum est violatio, seu oppressio mulieris, ipsa invita. *Ita communiter* (2). — Iuxta alios sub nomine stupri venit tantum defloratio virginis non consentientis. Dicitur etiam stuprum lato sensu quivis concubitus illicitus.

Stuprum, praeter peccatum grave contra castitatem, involvit etiam culpam gravem contra iustitiam, in confessione necessario aperiendam. — S. Lig. n. 443.

426. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Stuprum est fornicari cum muliere amente,

(2) Auctor hoc loco stuprum accipit non sensu theologico, sed potius ex norma iuris civilis, imo et latiori quadam significatione. Nam ius civile nomine stupri, prout est delictum ab aliis distinctum et speciali poena plectendum, intelligit violentam virginis aut viduae honeste viventis oppressionem; Auctor vero comprehendit oppressionem mulieris cuiuslibet etiam non honestae, aut etiam matrimonio iunctae, ut patet ex secunda resolutione; stuprum scilicet extendit ad casus omnes, in quibus vis mulieri inferatur, atque adeo impudicitiae peccato accedat iniustitiae crimen.

At non sic Theologi et Canonistae; qui licet advertant, stuprum lato quodam sensu accipi pro quovis illicito concubitu, tamen proprio et stricto sensu sumunt pro illicita virginis violatione iuxta c. *Lex illa* 2. §. fin. caus. 36. q. 1., ubi dicitur: *Stuprum autem proprie virginum est illicita defloratio*; speciemque stupri in confessione exprimendam reperiunt solum

in defloratione iniusta virginis. Hoc ipsum tamen duplex distinguunt, violentum nempe et voluntarium. Violentum quidem, quando vi et violentia physica subigitur et opprimitur. Voluntarium vero, non quidem quando virgo ultro et sponte sua consentit (quo in casu ex communi DD. sententia quoad speciem in confessione exprimendam mera fornicatio censetur), sed quando virgo dolo aut alia iniusta ratione inducta consentit in deflorationem, ut fit 1<sup>o</sup> per metum reverentialem, 2<sup>o</sup> per metum cadentem in constantem puellam, 3<sup>o</sup> per fraudulentam matrimonii, aut magnae dotis ad aliud matrimonium promissionem, 4<sup>o</sup> per repetitas importunas preces, saltem si his adiungantur minae. Vid. Struggl. *Th. moral.* Tr. 7. q. 4. n. 28.

Porro cum agitur vel de reservatione casuum vel de poenis per sacros canones in stupratorem infligendis, stuprum semper accipitur stricto illo sensu, quem a Theologis receptum diximus, nec aliud habet S. Alphonsus ab A. hic allegatus.



ebria aut dormiente, quia violatur sine eius consensu, et proinde gravis ei infertur iniuria.

2<sup>o</sup> Stuprum est vim inferre etiam mulieri iam corruptae aut viduae; quia consistit in violentia et iniuria, quae mulieri infertur, eam invitam opprimendo. Consequenter si quis mulierem coniugatam opprimat, adulterium et stuprum simul committit.

3<sup>o</sup> Non est stuprum fornicari cum virgine plane consentiente, etsi prima vice corrumpatur; quia domina est sui corporis, et libere iuri suo cedit.

4<sup>o</sup> Circumstantia virginitatis puellae, quae violata est, si ipsa in rem consenserit, non est necessario *per se* in confessione declaranda, quia stuprum *probabilius* consistit tantum in violentia mulieri illata, non vero in violatione integritatis virginalis.

#### §. VI. De raptu.

427. — Raptus est personae abductio libidinis causa e loco *tuto* ad locum *non tutum* per vim vel metum gravem ipsi aut iis illatam, quorum potestati subest. — S. Lig. n. 443.

Quoad raptum haec teneto:

1<sup>o</sup> Raptus est peccatum speciale, quamvis pravus actus libidinis non sequatur (3); quia consistit praecipue in iniuria, quae infertur in violenta abductione libidinis causa.

2<sup>o</sup> Si post raptum desiderium libidinis expleatur, speciem luxuriae diversam constituit, quae in confessione declaranda est (4).

3<sup>o</sup> Non est censendus raptus, si mulier plene consentiens abducatur, nisi tamen sit *minor*, et simul eius parentes seu tutores aut curatores invite hoc patiantur (5). — *Vide dicenda in Tractatu de Matrimonio* (6). — S. Lig. n. 444.

(3) Nihilominus in ipso raptu duplex est peccatum; nam ex parte *finis et intentionis* est peccatum luxuriae, et ex parte *actionis* adest peccatum iniustitiae.

(4) Declarandum scilicet simul est crimen raptus.

(5) Nimirum crimen raptus habetur, sive vis inferatur soli personae raptae, sive solum iis, sub quorum potestate est, sive utrisque.

(6) In tractatu tamen *de Matrimonio* non agitur de raptu, prouti est luxuriae

species, qui fiat nempe causa libidinis, sed prouti est impedimentum matrimonii, et persona non exercendae libidinis, sed matrimonii contrahendi causa abducitur.

De raptu vero animadvertenda est declaratio duplex S. Congreg. Concilii, 24. Ian. 1608. et 27. Aug. 1864. ex qua statui debet, ad crimen raptus revocandum esse non solum si per vim et metum, sed etiam si per dolum ac fraudem persona abducatur. Cf. Acta S. Sedis v. 1. p. 15. seq. et 54. seq.

#### ARTICULUS II. — DE PECCATIS CONSUMMATIS CONTRA NATURAM.

Triplex eorum species datur: 1<sup>o</sup> pollutio; 2<sup>o</sup> sodomia; 3<sup>o</sup> bestialitas. His adnumerandus est etiam *onanismus*, seu peccatum *Onan*, quod est copula incepta, sed exterius consummata vitandae generationis gratia, sive inter coniugatos id contingat, sive inter alios. Sed de nefario hoc peccato dicemus in *Tract. de Matrim.*, ubi de coniugali debito.

#### §. I. De pollutione.

428. — Pollutio est seminis effusio sine congressu cum alio. Pollutio voluntaria, de qua sola agimus, est vel directe vel indirecte quaesita. Dicitur etiam mollities. Differt autem a distillatione, quae est effusio levis alterius humoris subtilioris. In pollutione semen ordinarie cum vehementi delectatione magnaue commotione ei aculatur; distillatio autem cum nulla ordinarie aut levi admodum delectatione et commotione habetur.

429. **Principia.** — I. Pollutio *directe et perfecte* voluntaria est semper peccatum mortale, ita ut nunquam illam procurare liceat. Ratio est, 1<sup>o</sup> quia pollutio intrinsecam habet repugnantiam cum natura, quae seminis effusionem unice ad generationem ordinavit (7), 2<sup>o</sup> quia si aliquando

(7) Interest sane nosse accurate, in quo resideat specialis malitia huius peccati, ut inde normam aliquam sumat Confessarius, qua circa interrogandos poenitentes a molestis scrupulis semet facilius eximat. Propria itaque huius peccati notio petatur oportet ex indole peccati *contra naturam*. De qua generatim ita Filliuccius (Tr. 30. n. 137.): *Dicitur hoc peccatum contra naturam, quia non modo repugnat ordini rationali, id enim est commune cuicumque peccato luxuriae, quod est contra rationem, et repugnat ordini naturali actus venerei in humana specie; naturalis enim ordo talis actus debet esse eiusmodi, ut ex illo sequi possit hominis generatio; haec enim est finis illius; si ergo non possit sequi, erit talis actus contra ordinem naturalem, ideoque dicitur peccatum contra naturam.* Brevius autem et disertius Elbel (part. 4. conf. 9. n. 254.) de huius peccati speciali malitia:

*Ratio est, quia semen humanum a natura ordinatur ad generationem; ergo illud effundere ob alium finem (voluptatem) repugnat ordini naturae.* Cum itaque specialis haec malitia consistat in frustranea seminis effusione contra naturae ordinem, iam palam est, cur hoc peccatum specie differat a quovis tactu impudico, quem utique venerea voluptas, nulla tamen seminis effusio sequatur; atque adeo cur Confessarius (cum iis sane cautelis, quas DD. omnes merito exigunt) de hoc ceu peculiaris speciei obiecto non imprudenter interroget.

Sed rursus cum specialis haec inordinatio sita sit in frustranea effusione seminis, quod est a natura institutum unice ad coniugalem copulam, ut proles inde suscipiatur, iam ratio patet, cur DD. diversimode iudicent de hac turpitudine quoad eos, qui aut nullum semen emittere possunt, aut certe non verum. Exinde quod habet Sporer (*Theol. Sacr.* p. 4. c. 2. n. 39.) de impuberibus: *Si pueri vel puel-*